

87.

SACRE IMPERIALE  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE  
**TRANSMUTA-**  
**TIONE**  
**FRUMENTORUM,**  
QUOD,  
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA UPSALIENSIS,  
PRÆSIDE  
VIRO NOBILISSIMO atque EXPERIENTISSIMO  
**Dn. DOCT. CAROLO**  
**LINNÆO,**  
EQUITE DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,  
MED. ET BOT. PROFESSORE REG. ET ORD.  
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.  
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,  
PUBLICO EXAMINI SUBJECT,  
**BOGISLAUS HORNBORG,**  
PETROPOLITANUS.

IN AUD. CAR. MAJ. DOCES XXVIII. SEPT. ANNO MDCCCLVII.  
H. A. M. S.

---

UPSALIAE, Excid. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

SACRÆ IMPERIALI CELSITUDINI,  
SERENISSIMO  
PRINCIPI,  
**D**OMINO PETRO  
FOEDOROVITZ,  
TOTIUS IMPERII RUSSICI  
PRINCIPI  
HEREDITARIO  
*MAXIMO, POTENTISSIMO,*  
SLESVICI HOLSATIÆ  
**DUCI REGNANTI**  
*CELSISSIMO,*  
DOMINO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME *atq;* POTENTISSIME  
PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

**A**d aram Clementiae TUÆ, PRINCEPS  
AUGUSTISSIME, supplex venio, exiguum  
devotissimæ pietatis ac subjectissimæ mentis oblatus  
tesseram. Opusculum in patriam dulcissimam refeo  
Botanicum, ex hortis Academicis, ad Salam Suionum,

*amæ-*

amœnissimis decerpsum, quod sereno, ut soles, vultu  
adspicere digneris, per summam, qua exsplendescis,  
gratiam, venerabundus oro. Excelsissimas jam diu felix  
Moscovia in TE, PRINCEPS SERENISSIME, per-  
celebrat virtutes, augustissimis TUIS Natalibus di-  
gnas, omniumque citium votis abunde suffecturas.  
Quemadmodum enim ab antiquissimis, iisque glorio-  
sissimis, Septentrionalium Regnorum Moderatoribus ge-  
nus & sanguinem ducis; ita Monarcham in primis  
Russice gentis longe potentissimum, PETRUM, vere  
MAGNUM vereque AUGUSTUM, Avum TUUM  
Maternum numeras, cuius sapientissime gubernationis &  
flagrantis pariter, ac felicissimi, studii florem, tum  
Patriæ universæ, tum rei litterariæ, promovendi in-  
numera etiamnum comparent monumenta, quæ singula-  
rem cunctis admirationem, fidissimis vero atque cor-  
datis civibus maximam & tremebundam venerationem,  
nullo non tempore, adferunt. Renovatur, non sine  
intimo leticie sensu & faustissimis per universum,  
quaqua id patet, Imperium Ruthenicum resonantibus ad-  
clamationibus, pristinæ felicitatis recordatio, ubi non  
modo Nomen tantopere adamatum, sed etiam omen  
atque adeo personam Maximi PRINCIPIS per TE,  
a summo & propitio Numinе, sibi redditam gratula-  
bundi omnes suspiciunt. Ab eo enim tempore, quo,  
felicissimis auspiciis, ad nostras accedere contigit ter-  
ras, inuisitata tamque admiranda gratia universos as-  
singulos, Clementissimo TUO nutu ac moderamine a-  
liquando regentos, amplexus es, adeo mitem atque in-  
defessam de bonarum litterarum & scientiarum in  
Russia incrementis gessisti curam, ut non spem tantum  
cer.

certam , sed fiduciam quoque plenissimam future pro-  
speritatis concipere atque prælibare possimus singuli.  
His TUIS virtutibus , PRINCEPS CLEMEN-  
TISSIME , hoc TUO in rem litterariam benignissi-  
mo animo ego nixus , tenellum hunc & immaturum  
otii, quod degustare licuit, Academicici fructum TIRI cum  
animo , ad urnam usque subjectissimo , & ardentissi-  
mis pro summo atque perenni TUQ flore precibus,  
ad optimum cali terræque Conditorem calenti pectore  
semper fundendis , offerre atque dicare sustineo.

SERENISSIMO PRINCIPI,  
DOMINO CLEMENTISSIMO,

CHARLES INDULGENTISSIMI

devotissimus ac subiectissimus  
cultor ,

BOGISLAUS HORNborg.

VIRO

*Maxime Venerando atque Praeclarissimo,*

**Dominus BOGISLAO  
HORNborg,**

Eccles. Jachimvaræ PASTORI & vicini Contra-  
ctus PRÆPOSITO

Vigilantissimo atque adcuratissimo,

PARENTI OPTIMO, INDULGENTISSIMO.

*Tenues has in argumento Botanico lucubrationes ad Te,  
PATER Carissime, ex Svonia redux, non eo animo  
defero, ut me Tuo ære, vel minima ex parte, exsolvam.  
Plura enim atque longe majora sunt, quæ Tibi, PARENS  
Optime, debedo, quam ut munere tantillo chartaceo quid-  
quam demereri valeam. Tuis sane beneficiis, a prima usque  
vite horula, mibi cumulate præstitis, ne recensendis qui-  
dem, multo minus digne celebrandis, vel facundissima suf-  
ficeret Svada. Dicam igitur paucis, quid sibi velit pagel-  
la hæc, Nomihi Tuò venerando mihi que jucundissimo con-  
secrata: pignus erit gratissimi peccoris, & perennaturæ,  
quæ filium decet, pietatis qualecunque indicium. Accipias,  
PATER Amantissime, mentem & voluntatem, viribus li-  
cet destitutam. Servet Te DEus benignissimus, in annos  
bene multos, salvum & quovis felicitatis genere florentem,  
ut decore tam dulci nobis, qui Tui sumus, quam diutissi-  
me frui liceat! Permaneo*

PARENTIS INDULGENTISSIMI

*filius obedientissimus,*

*BOGISLAUS HQRNBORG.*



I. N. 3.

§. I.



ita, ut ignis, perpetuo servatur motu; motus terit & semper non nihil deterit de proprio corpore. Corpus igitur quotidie reparandum, quod fit alimentis. Alimenta desumuntur e vegetabilibus & animalibus, sed non ex omnibus. Selectus itaque horum, uti & justa copia, esse debet. Prostant hæc plerumque copiosiora in meridionalibus & calidioribus terris, quam in frigidis. Quæ sponte in scopum hunc maxime necessarium obtineri nequeunt, arte & industria promovenda sunt. Hanc artem Oeconomiam privatam & Rem Rusticam dixerunt mortales, quæ in se comprehendit non modo ea, quæ ad vietum, sed & amictum ac commodiorem vitam transfigendam inserviunt, ideoque in primis Agriculturam

A.

turam

turam, rem Pecuariam, Horticulturam, Piscaturam  
& quæ sunt ejusdem generis alia.

## §. II.

Fuit quondam apud Romanos Res Rustica tan-  
to in pretio, ut ipsis Patriis non indignum viderum-  
fuerit hortos ornare, arbores plantare, agros cole-  
re & de hac cultura scribere; sed nescio qua no-  
vercantis fortunæ injuria, haec ars sequioribus se-  
culis adeo contenta fuit, ut ne locum quidem in  
Eruditorum scientiis obtineret; forte quod haec ipsa  
objectum erat quotidianum insimæ, rudis ac indo-  
cta plebis: cum tamen nulla magis necessaria, nul-  
la plurium opera indigeat ad sui perfectionem.

## §. III.

Ego primum ad inclytum hocce Regnum  
Suiorum, ad celebrem hanc Matarum sedem, qua-  
si in novum orbem delatus, perspexi quo studio &  
fervore ea, quæ ad Oeconomiam privatam spectant,  
nocte dieque volverentur; in hunc finem collinea-  
re video permultas scientias, quales sunt Mecha-  
nica, Physica, Naturalis, Chemica. Professores  
etiam, eximia eruditio laude conspicui, consti-  
tuti, ut hanc rite excultam ad summum culmen  
perducerent. Regia denique Academia Scientiarum  
Stockholmensis inter primarias suas observationes  
incumbit experimentis oeconomicis, vitam Rusticam  
spectantibus, cui interesse ipsi Purpurati non gra-  
vantur. Illustris haec & merito laudanda Acade-  
mia quotannis præmia distribuit, quibus incitantur  
viri sagaces, ad experimenta nova ac fructuosa in  
hunc

hunc finem instituenda, siveque ulterius continuandum laudabile de publica Societate bene merendi studium.

## §. IV.

Nimis operosum foret hic adducere, quæ ex hoc fonte dimanarunt observata; pauca summis labris degustare sufficiat. Alius *Paludes* cæspitosas in prata & agros convertere; alius *Arietes Hispanicos* introducere pro præstantiori lana obtinenda; alius pappum *Epilobii angustifolii* & *Salicis pentandrae* colligere pro succedaneo *Bombacis*; alius *Scirpi palustris* radices, quarum certe recentium avidissimæ sunt Sues, colligere & exsiccare pro hyberno alimento horum animalium; alius *Urticas dioicas* in pratis ferere pro vaccis, cum istud fœnum lac potenter pellat; alius *Solanum tuberosum* plantare, in alimentum homuncionum, premente in primis annona, ea vero potiore, ad porcos saginandos; alius vinum e baccis *Juniperi* coquere docuit; alius spiritum vini Ungariæ ex *Abiete* recoquit, cum præmio; alius instrumenta Turcica e *Silicibus* pro frumento triturando introduxit; alius *Cornices* expugnare, ne prata evellant, conatus est; alius semina *Graminum exoticorum* introducere & in pratis ferrere tentavit, pro pabulo copiosiori; alius *capras* defendebat, quasi summitates arborum non detonderent; alius lamellas e ligno *Juniperi* in locum Macis substituere voluit, ut reliqua taceam.

## §. V.

Ex his & similibus facile colligere licet, quam

multi indefesso studio & sumtuosis experimentis viam tentent ulterius progrediendi in disciplinā, quæ Oeconomiam privatam instituit. Et quamvis non omnes eodem successu ad metam tendant, constat tamen inde quanto ardore & labore hanc scientiam tractent plurimi.

### §. VI.

Inter reliquas partes hujus disciplinæ primum sane locum tenet Agricultura, quæ panem subministrabit, quo deficiente, deficiunt fere omnia. Fatendum etiam est, artem colendi agros in hac ipsa regione ad summum facile apicem perductam esse, ut qui hanc rite addiscere velit, non opus habeat excurrere ad Anglos & alias australiores gentes. In hac parte dum desudant viri acutiores, eo per ventum est, ut inquirere etiam inceperint in veterum opiniones de transmutatione frumenti ex uno Cereali in alterum. Interea nonnemo in eam sententiam abiit, ut statuat præstantius frumentum in terra macriori degenerare in vilius, & in solo vicissim pinguiori transformari e viliori in præstantius; Alii vero hanc metamorphosin mordicus negant. Ad me quod attinet, absit, ut in quemquam sim injurius, dum nego veram esse alterius assertionem; quivis enim tenere debet, quod propriis oculis viderit, & quilibet experimentis propriis potest fallere ignaros. Interim tamen quivis etiam concedat alteri, in re, quæ nec religionem, nec formam Regiminis ferit, libere tentire, & quæ ipsi detecta sunt, aperire. Ideoque, dum hæc de metamorphosi fru-

frumenti hic locorum fervet controversia, lubet et-  
jam nostrum de hac re ferre judicium. Novi e-  
quidem millena experimenta super hoc argumentum,  
per varias Sueciæ provincias, hoc anno esse institu-  
ta, sed quorum veritas non ante annum inseguen-  
tem constabit. Nos interim de hac re ita convi-  
eti sumus, ut absque institutis experimentis prædice-  
re audeamus futurum eventum, innixi principiis  
Botanicis, ex ipsa natura petitis. Quicunque enim  
in his solida jecit fundamenta non potest a vero tra-  
mite aberrare, modo rite enutritus fuerit in ipsius  
naturæ cognitione.

### §. VII.

Qui naturam plantarum rite vult intelligere,  
necessum est, ut regni vegetabilis varias vias se-  
quatur per late dissitas ejus provincias. Debet enim  
considerare *Gemmas arborum & plantarum*, ut sci-  
at, quæ hyemis vehementiam ferant. Debet *Ver-  
nationem* arborum observare, ut sciatur, quo ordine  
frondescant. Debet *Calendarium Floræ* ad manus  
habere, ut plantarum tempus florendi perspiciatur;  
quomodo unus flos post alterum justo ordine ex-  
plicetur. Debet *Horologium Floræ* intueri, ut  
sciatur, qua hora diei flores explicitur aut clau-  
dantur. Debet *Stationes* plantarum examinare,  
ut sciatur quo in loco & qua in terra singulæ pro-  
veniant. Debet *Somnum* plantarum attendere, ut  
intelligat earum quietem nocturnam. Debet *Nuptias*  
plantarum intrare, ut videat, quomodo generentur  
in

in flore semina, pollinis illapsu supra roridum stigma. Debet *Metamorphosin Plantarum* attente sequi, ut intelligat, qua ratione flos & semen fiat. Debet ab *hospita insectorum Flora addiscere*, quæ plantæ certis Insectis cibum præbeant, & a *Pane Svecico*, quænam plantæ consumantur vel non, a phytivoris mammalibus. Debet *Hortos intrare Academicos*, tibi millena semina, quotannis e plagiis remotissimis orbis advecta, seruntur, & videre, quod singula promant suam plantam, nec aliam. Debet a *Generibus plantarum* eruere constantes fructificationis charæcteres. Debet a *Speciebus plantarum* intelligere, quo in loco orbis singulæ plantæ sponte crescant. Debet denique e *Philosophia botanica* sibi perspectas reddere, quæ ducunt ad Partes constituentes plantarum, ad Varietates, ad *Habitum*, ad Ordines naturales & reliqua. Hæc omnia cum in hac ipsa Academia felicius, quam forte alibi, exculta sint, etiam facilius ibi addiscuntur, ut hic pejus erretur de via, quam in loco alio ullo.

### §. VIII.

Novi equidem, quod, qui *metamorphosin Cerealium urgent*, in primis infesti sint in recentiores Botanicos, quod non credant vel agnoscere velint eorum asserta, quasi qui primo tentamine felicius intrarunt naturæ interiores recessus, quam illi, qui per totam vitam in Floræ amplexibus hæserunt. Si hæc ita essent, ipsis hoc gratularemur. Jam vero, quæ perspicue intelligimus, afferere audiemus:

demus. Prisci plurimas plantas e seminibus, in prima creatione terræ insitis, produci existimavere, dum observabant plantas varias ex terra effossa mox repullulare. Alii veterum plantas plurimas; præsertim viliores ipsis habitas, uti Fungi, Musci, & Herbæ minutissimæ, immo etiam animalcula minutissima per generationem æquivocam, sive per putredinem, fermentationem & nescio quam occultam qualitatem sub miscela varia terrarum generari somniabant, quia non attendebant ad vias, per quas semina a matre undique late disseminantur. Videbant enim agrum purissimo frumento fatum luxuriare saepius sterili herba, præsertim si recens fuerit stercoratus. Videbant campos Juniperis obtegi, ubi nulla juniperus antea, nec novabant, quomodo ponderosæ juniperi baccæ deferrentur a frutice matre in loca remotissima. Negabant itaque, quoniam non videbant.

### §. IX.

Duravit hæc gratis assumta hypothesis ad tempus *Hærvæi*, qui ausus fuerat assertere omne vivum generari ex ovo, seu a matre simili pronasci, nec aliter. Hanc sententiam quamquam plurimi tunc temporis Eruditi omnino respuehant & hæc ipsa in hunc usque diem ab indoctis & in naturæ mysteriis peregrinis negatur, certissimo tamen nititur fundamento. Nec Rhedi unquam potuit obtainere vermiculos in carne putrida, nisi accederent insecta, quæ ova deponerent. Certe qui

qui fugitivis oculis modo intueatur structuram minutissimorum animalculorum, horum conformatioes articulationes, musculos, viscera, organa sensuum &c. fungum habet pro cerebro, qui concipiatur adeo artificiosam machinam, quæ omnem vim ingenii humani longe superat, posse casu & sua sponte generari. Similiter etiam comparatum est cum plantis, quarum machinæ ita conformes intra suam speciem, ita artificiole constructæ & elaboratæ, ut nullus non apertis oculis videat opus in his omnisci & omnipotentis Creatoris; adeoque non minus valet in plantis, quam in animalibus, generatio sic dicta univoca ex ovo.

### §. X.

Attendamus oportet ad multiplicationem plantarum, videbimus e. g. caulem arboris extendi in ramos, ramos in ramulos, hos in gemmas; gemmas non aliud esse quam futuros ramulos coarctatos & minutissimum horum compendium, quod constet squamis minutissimis, proximo anno explicandis in folia, & intra singulam squamam foliaceam punctum minimum seu gemmam minorem duobus abhinc annis explicandam in ramulum foliaceum, & sic continuari multiplicationem plantæ, dum singula gemmula constituat novam plantam. Comparemus hanc multiplicationem cum verme *Tenia* & constabit facile similitudo, ubi unusquisque articulus novam constituit vitam seu proprium animalculum, quod parit simillimam problem

lem, sed cohærentem cum matre, serie fæpe numerosissima. Vel etiam adducamus, exempli loco, *Sertulariam*, cuius vita multiplicatur eodem modo, quo *Tæniæ*, sed ramis pluribus, & in hac observe-mus unumquemque articulum propriam vitam, propriumque corpus cum suis organis & visceribus habentem. Similiter etiam comparatum est cum Radicibus *graminum* & cerealium, quæ numerosis articulis repunt sub terra; ad singulam geniculam articulos distinguenter hæret gemmula, rudimen-tum novæ radicis, quod ubi excrescit, & elevatur supra terram, transit in culmen articulatum, foliis vestitum, demum spica terminatum; & intra vagi-nam foliorum minima latet gemmula, quæ exsic-cata marcescit, dum succus alimentalis defertur ad fructificationem; si vero spica decolletur oxyus, hæc gemmula tum excrescit in culmum, evidenti ar-gumento, quod intra geminam lateat culmus cum foliis, spica &c. Attendant, quælo, oculatores ad gramina prati vel campi, quæ quotannis a sceni mesforibus & pecoribus demetuntur, sæpius non una vice, annon semper ex eadem radice ex eadem gramina, determinatis spicis seu paniculis, appropriatis floribus condecorantur? quis mortalium vi-dit ramulum arboris, herbæ, graminis, aliisque cuiusvis vegetabilis, pluries licet dissectum, unquam mutasse naturam suam, unquam e germis suis residuis, aliis plantis vel speciebus repullu-lasse? Tondetur *Ligustrum*, *Tilia* vel alia quæ-cunque arbor opere topiario, uti moris est in hor-

tis quotannis, repetitis vicibus; sed nullus mortalium observaverit ideo novos ramos aliis speciei unquam regerminasse. Peregrinus & plane hospes sit profecto in naturæ sacræ, qui hæc credat, temerarius, qui hæc afferat. Natura est lex Dei, in ipsa creatione rebus indita, secundum quam multiplicari, conservari & destrui debent; data est hæc ab omnipotente Imperatore, qui non opus habuit eandem revocare vel mutare.

## §. XI.

Machina plantarum artificiosissima constat *medulla* multiplicativa intra substantiam *ligneam*, obductam *libro*, vestitam *cortice*, ex quo folia prominant & reliqua: sed hæc partes in diversis plantis, diversimode e suis fibris & canalibus contextæ sunt. Crescit & extenditur atque multiplicatur hæc vita plantarum quasi in infinitum, nec terminantur sua sponte, nisi rumpantur integumenta, non casu lacerata, sed secundum leges & structuram partium constituentium plantæ, dum cortex explicatur in *Calycem*, liber expanditur in *Corollam*, lignum scinditur in *Stamina* & medulla coacervatur in *Semina*. Hoc factio, terminus imponitur vegetationi & vita prior definit, ubi nova esse incipit: & hoc tam constanti lege, ut nulla planta sine fructificatione, nullus sine eadem terminus vegetationis. Observemus has fructifications tam constantes & uniformes in sua specie, ut nunquam *Violas* ferant Rubi, nec *Ficos* *Ramnus*, sed in eadem

dem planta semper conformes flores & uniformes fructus. Quod vero ad monstra attinet, hisce non immoramus, ubi flores plani & floriferi e simplicibus pronascuntur, qui non sunt nisi libri succosoris affluxus humorum, qui solvit exteriorem superficiem ligni, & non sinit lignum indurari, quod e libro exsiccato & arido evadit. Non ferit hanc legem major vel minor planta, quæ non magis constituit diversam speciem, quam major & minor Eqvus ex eadem matre prognatus; neque fructus dulciores aut acidiores diversitatem arguunt, novimus enim Vites æstate calida & humida dulciores edere uvæ, quam si ætas fuerit frigidior, quando uvæ ejusdem arboris magis acefcunt. Constat, immo constantissima, naturæ lex est, quod similes procreentur a similibus, nec imbellem feres progenerent aquilæ columbam.

### §. XII.

Semina plantarum evolvamus suspensa manu, intueamur partes constituentes, observabimus intra tunicas continentis latere Cotyledones & intra has plantæ compendium. Incipiamus ab evidenteribus; e. g. sumamus semen *Nymphaeæ Nelumbo* dictæ & reseratis claustris videbimus plantulam petiolis foliisque peltatis instructam, ita omnibus numeris perfectam, ut quivis Botanicus facilime dignoseat plantam ipsius seminis a reliquis omnibus; quid itaque mirum, quod sato semine excrescat planta, quæ latuerat antea plane perfecta intra

suum semen? quis concipiatur, quod ex sato hocce semine alia oriatur planta, quam quæ fuerat intra semen, nisi novam creationem in suo cerebro singat. Nux amygdali in olla seratur & aqua irroratur, dehisciat brevi nucleus, prodibit in apicum ramulus, qui fuerat corculum semenis, videbis squamas, ex quibus corculum constituebatur, tumidiores factas explicari in Folia & Caulem, in loco calidiori properare ad metam & terminari gemmam, futuri anni compendium; calor vero non remittens propellit nec finit moram; cogitur nova gemma, quasi volens nolens, sese explicare hac eadem æstate, in novum caulem. (\*) Cui inde non facile constat, quod totus hic caulis duorum annorum unitorum latuerat intra ovum sive suum semen, sub minima mole? ne Judæus quidem Appella crederet aliam oriri plantam ex nuce amygdali, quam quæ intra semen antea latuerat, quæque necessario & ex mortaliū omnium fidissimis observationibus semper erit adeo similis matri, ac unquam ramulus mediante gemma e ramo suo ematus. Nulla jam nova est creatio, sed vita continuata, nec plures species hodie sunt, quam quæ fuere quondam. Si itaque omnis generatio vitam tantum continuat, sequitur etiam, ut singula persistant intra suam speciem.

## §. XIII.

Veteres credebant frumentum per gradus degenerare in maeriori terra, atque Triticum in Secale,

(\*) *Pbilof. Botan. 301.*

le, Secale in *Hordeum*, *Hordeum* in *Lolium*, *Lo-*  
*lum* in *Bromum*, *Bromum* in *Avenam* & sic per  
 gradus descendere, immo credebant etiam semina  
*Bromi* vel *Hordei* in fertiliori terra producere Se-  
 cale. Duravit hæc opinio, quamdiu plantæ ea-  
 rumque flores conspiciebantur e longinquo & fu-  
 gitivis oculis; postquam vero Malpighius, Tou-  
 nefortius & alii armatis oculis inspiciebant, descri-  
 bebant & delineabant florum partes, etiam minu-  
 tissimas, cum eārum differentiis, & ex his planta-  
 rum genera constituebant diversissima, ex fructifi-  
 cationibus æque diversis prognata, obmutuit hæc o-  
 pinio. Differunt enim inter se hæc dicta Cerealia  
 f. Gramina ut Ovis, *Cervus* & *Camelus*, nec uni-  
 ca pars figura & proportione convenit, sed æque  
 diversa sunt generum structura hæc grama, ac  
 in sua specie constanter uniformia. Qui potest  
 concipere Hædum progenerari a Lepore, *Cervum*  
 a *Camelo*, ille etiam solus capiat Secale ex Avena  
 aut *Hordeo* prodire. Sic cæcutimus luce meridia-  
 na, ut talpæ in sua domo, dum nolumus exire  
 & apertis oculis intueri naturam. Nullus credat  
 vel e Secalis culmo vel Avenæ aliud enasci gra-  
 men, quam quod fuerat antea, quodque Latuerat  
 intra gemmas relietas ad radicem, quæ compendia  
 sunt futurorum ramorum, nec producunt magis di-  
 versos culmos, quam arbor resecta ramos. Nec  
 facit mora hyemis quidquam, si modo radix Avenæ  
 resisteret hyemi. Floræ alumno notissimum est, quod  
 omnes plantæ futuri anni cum floribus & foliis, hac  
 ipsa

ipla æstate perfectæ & omnibus suis partibus distingvendæ prostent, quamvis lateant intra suas gemmas. Evolvite bulbum Tulipæ, gemmas Daphnes, radicem Hepaticæ & videbitis folia, flores, cum calyce, corolla, staminibus, pistillis, adeo perfecta & elaborata, ut agnoscatis florem e suo charactere perfectissimum. Ne credatis itaque ignari aliam oriri proximo anno plantam, alia folia, alias flores & fructus, quam qui hodie latent intra gemmam radicis. Æterna hæc est lex, æterna veritas.

#### §. XIV.

Sed comparemus fructificationes Secalis & Avenæ inter se invicem, & videbimus conformitatem nullam, diversitatem summam. *SECALE spica* gaudet; *AVENA panicula*; elongentur denticuli Spicæ secalis & evadat racemus; subdividatur hic Racemus, ut fiat Racemus compositus, tertia demum vel quarta accedit mutatio, antequam generentur Paniculæ, & sic reciprocè. *AVENÆ* flos constat calyce, qui *Gluma bivalvis, biflora, oblonga, cananiculata* nervis novem vix manifestis scabris, teretiuscula, nec compressa, marginibus membranaceis albis muticis. *SECALIS* calyx est *gluma bivalvis, biflora: valvulis subulatis, cananiculatis, compressis, in aristam terminatis, carina scabris, floribus brevioribus, basi lana cinetis.*

#### §. XV.

*AVENÆ* gluma *COROLLINA bivalvis: valvula exteriore lanceolata, cananiculata, teretiuscula*

la marginibus involutis lăvibus, apicem versus ica-  
bra, e medio dorsi exserens aristam scabram, recur-  
vatam, calyce longiore.

*SECALIS* gluma *COROLLINA* cymbiformis,  
quinquestriata, margine & carina ciliata aculeis co-  
loratis, unde structura evadit speciosissima.

### §. XVI.

*AVENÆ semen* pilosum est & a gluma corollina  
involutum; *SECALIS* autem semen nudum; *fa-*  
*mīna* & *pīstilla*, quæ extra florem hærent, sunt di-  
versissima in Secali ab Avenæ genitalibus, quæ intra  
glumas occultantur; adeoque si *Avena* mutaretur in  
*Secale*, utique grama in avenam, quod æque est  
impossibile.

### §. XVII.

Aliud etiam est obstaculum metamorphoseos *A-*  
*venæ* in *Secale*; radicis scilicet ætas annua, nec bien-  
nis. Perit enim certe gelu per hyemem induratis  
terris semper, adeoque etiam videmus hanc cum  
sterili herba luxuriare in agris frumento æstivo fa-  
tis, uti in agris hordeaceis, nunquam vero vel uni-  
ca avenæ planta in agris nostris secalinis, hordeo  
hyemali gravidis, quod tamen alioquin sæpiissime acci-  
derit, dum hi agri præcedenti æstate stercorati fuere  
fimo equino; novi equidem plantas, quæ prima  
æstate caules non proferant, sæpe durare in prox-  
imum, quod tamen nunquam factum. cum avena  
oblivavir, qvum radix ejus in frigidioribus terris  
semper annua sit, hyemisque omnino impatiens.  
Multo minus hoc fieri quisquam credat, dum pri-

mo

mo anno culnos , quamvis non spicas , producere concedatur.

### §. XVIII.

Quænam cauſa errorei experimenti fuerit, meum non est divinare , qvum multiplex esse potuerit. Multiplici via incedit polymorpha natura in ferendis suis seminibus ; transportantur semina ab avibus , a ventis, a quadrupedibus, quæ consumtam avenam & integra devorata semina excernunt per alvum illibata , perfecta & fæcunda, quæ ſæpe in agris ſtercoratis , licet non ſatæ , germinant. Potuere semina Secalis mixta fuſſe cum avena , licet tam parva quantitate , ut oculus minus attentus ea non animadverterit, & deſtructa per hyemem avena luxuriante numerofis culmis atque spicis , ut ager hifce dives, quaſi ſatus fecali apparuerit; potuere &, alia cauſæ exiſtere innumeræ.

### §. XIX.

Quidquid itaque fit, ferio aſleveramus Avenam  
nunquam mutari in Secale ; nec dari  
unquam transmutationem  
frumentorum.

### S. D. G.



# Dn. AUCTOR.

**I**llis jam vivitur temporibus, quibus, discussa pristinæ barbariei caligine & exuto insano Martis cultu, minus de regni finibus, quam de artibus quibusque, propagandis laboratur. Commerciis fervent maria, frequentantur officinae lateque patentes campi sedula coluntur manu: nec ullus facile est, quin, pulcro incitatus illo amore, in commune consulere cupiat. Sed vero in tanta certantium turba, nescio quo, non damnando quidem, sed tamen intempestivo, acti studio, surrexere nonnunquam & etiamnum insurgunt, qui, nubem, ut dici solet, pro Junone amplexati, informia monstra orbis obtrudere non dubitant. Persuasum hi forte habent, posse se verborum præstigiis & immaturo ingenii fœtu adeo facile juvare, in cunis adhuc vagientes, artes, ac inficetæ plebeculæ imponere valent: parum perpendentes longinqui temporis usu & periclitatione opus esse, id si invire velis, quod publicæ rei prodit. Id vero, qvum Tu, Optime Amice, perspectum habeas, prudenti consilio judicavisti, non posse Te ulli rei melius oleum & operam impendere, quam huic, publica dissertatione, detegendæ imprudentiæ dicam, an insaniæ: hoc ipso palam facis, quantum sit in permultis rebus, quæ externam mentiuntur veritatis speciem, inane, & insuper etiam ostendis non lvevisse Te cortici inhærere, sed in imos scientiarum recessus penetrasse, deque eo solicitum fuisse, ut in nostræ Palladis viretis ea decerperes, quibus Tuæ olim patriæ sis profuturus. Macte illa virtute, &, qvum hinc jam abitum mediteris, quo Te cunque fata tulerint, res Tuas quam bellissime age. Faxis vero, ne nostrum unquam obliviiscaris, sed, Tuis potius redditus penatibus, gratam recolas memoriā illius temporis, quo Musæ svavissimæ, ad hunc nostrum Parnassum Upaliensem, Te soverint & formaverint.

JACOBUS HENR. CARLBORG,  
Ostrobothn.

Peregrinio atque Eruditissimo  
Domino BOGISLAO  
HORN BORG

PETROPOLITANO,  
Amico Exoptatissimo,

*De Transmutatione Frumentorum*  
*Propediem disputatur.*

**E**tiam si terrena omnia mutationibus, propemodum innumeris, esse obnoxia, & rerum, quotquot ortum habent, dari vicissitudinem, experientia quotidiana extra aleam dubitandi jam dudum posuerit: inde tamen *Transmutationem Frumentorum*, utpote legibus naturae, Benignissimi Creatoris provida cura manuque, stabilitatis inimicam, minus congruenter & perperam urgeri in mediumque vocari, profitebuntur, crediderim, singuli, quibus solidior in elegantissima pariter, ac utilissima, Scientia Botanica contigit eruditio. Ego vero Tibi, Amice Honoratissime, specimen hocce felicissimorum progressuum ex animo gratulor, &, quia virtutem non minus, quam bonas ingenuasque artes, constanter adamas, prosperitatem Tibi auguror atque opto, mutari nesciam. Futurus, dum vixero,

Tui studioffimus,

NICOLAUS SOVELIUS,  
Ostrobothn.